DE DEO TRINO ET VNO,

ORATIO
IACOBI ALBANI
GIBBESII,

BRIT. M. D.

Hiſtor: & vtriuſq; Eloq. publ. Profeſſoris:

HABITA

in Sacello Quirinali; die feſto SS. Trinitatis,

cIↄ. Iↄc. LIX.

Ad Eminentiſſimum Principem,

RAYNALDVM CARD. ESTENSEM.

SINGVLA  *REGNANT.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,

Ex Typographiâ Iacobi Dragondelli, M.DC.LIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI RAYNALDO ESTENSI, S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

ORANTI de ſuperiore loco nupèr mihi coram Pontifice, ac ſacro Collegio, id eſt, in Concilio totius orbis terræ grauiſſimo & maxime, Tu quoq; Senatus eiuſdem magna pars, RAYNALDE Princeps & Cardinalis, aurium tuarum benigniſſimè feciſti honorem; atquè ibi tùm ego te, ex quo Romam es reuerſus, quod vnicè concupiſcebam, lætiſſimè primùm vidi. Continueram me domi ſcilicèt vſquè ad eum diem, tot inter ſalutatores & deductores tuos, certo animo prorsùs & obfirmato non antè inuiſendi, quàm literarium aliquod munus dignum te, pro eâ perpetuâ conſuetudine, quam in colendis Dynaſtis tenere ſoleo, præſentiæ mihi tuæ aperiret aditum. Hac viâ compotem me voti fore, officiumquè præſtare facilè poſſe ve-

nit cœleſti quodam inſtinctu cogitatio tùm in mentem, ſi ſermonem illum ipſum, quem habebam, vt ſummum noſtræ religionis myſteriorum, ſic eximiæ pietati tuæ cõuenientiſſimum, offerrem. Ecquidnam verò aut dignitate ſublimius, aut æſtimatione pretioſius donari potuit, cùm, vt erat totius Diuinitatis apex atque lautitia, cœli Vicarium habuerit prægustatorẽ? Quò Sol rectis affulſit radijs, cæteras ſtellas illùc obliquo lumine deſpecturas non eſt credibile. Securus igitur Estensis & vultus & animi, nullo non tempore in eas artes propenſiſſimi, quibus doctrinæ liberales continentur, hunc ingenij qualiſcunque fœtum in ſacrario Amplitudinis tuæ depono, ſeù deuotæ tabulam clientelæ, ſiuè obſeruantiæ teſſeram in te meæ.

Non id ago nunc, vt operis argumentum probem tibi, quod ſatis habet, vt vides, per ſe commendationis, ſed vt rationem offerẽdi leniter accipias, quæ longè plurimum ſeruat officioſæ neceſſitatis. Nam vt omittam illa in genere, Ateſtinam ſemper familiam iam indè, à primâ dominatûs origine liberaliſſima quæque ſtudia fouiſſe, rectiſſimaſquè doctrinas promouiſſe, quo nomine non à Muſis tantùm, ſed ipſo etiam Apolline, obſequium extorquere iure poſſet; vndè Arioſti, Sadoleti, Sigonij, Taſſi, Stephonij (Deus bone, quæ lumina!) extitêre, hodiequè Gratiani exiſtunt, fulgentquè longiſſimè: priuatim ego de meo nexu cogor erga vos cõfiteri; quòd Româ mihi ante quatuor annos à Franciſco Duce, germano tuo glorioſæ memoriæ, euocato, perliberali propoſito auctoramento, ſcriptis item ad Cardinalem Spadam, cuius eram addictus ſeruituti, pro ipſius conceſſu plenioribus literis, Almericus Princeps, eius filius, mel ac deliciæ tuæ, diuinæ puer indo-

lis,

190

lis, ad inſtituendum eſt commendatus.

Quam ſanè Spartam excolui ſic & ornaui, vt, cùm Almerici præcipuè, tãquàm Cyri, darem operam diſciplinæ, eum ad omnem facultatem, quâ equidem pollerem, linguarum, trium inprimis, Græcæ, Latinæ, & Gallicæ, variæquè eruditionis aſſiduè informando, tamen Dux ipſe identidèm, fraterquè Alphonſus natu maior, hæres imperij, ſibi partem vindicarent. Etenim vterque, Gallicè genitor quidem, frater verò Hiſpanicè, præeunte me, legere ac ſcire voluit. Atquè iſtud meherclè ſaxum, quoàd tranquillo eſſe licuit, volvi non repugnanter: ſimulatquè verò tubæ clangor increpuit, reſquè iam ad arma propiùs ſpectare videbatur, collegi illicò vaſa, mequè rursùs ad clauſum Ianum Vrbis, vndè veneram, recepi. Oderunt Muſæ cõtubernium Martis ſcilicèt; nequè vllo ſe tumultu implicari pacis comites, otijquè ſociæ, facilè patiuntur artes noſtræ. Almericus, quod idem de Magno Pompeio id ætatis legimus, ipſe minor aliquandò non futurus, è ludo ac puerili inſtitutione ad exercitũ inuictiſſimi Patris, atquè in militiæ diſciplinam profectus eſt. Ibi quantùm profecerit breui tempore, quid egerit, quas palmas, quot trophæa reportauerit, cùm publici annales, gentiũquè monumenta omnium loquantur, non hîc videtur dicendi locus.

Ego intereà hiſce ex montibus, tanquàm in ſpeculis, vigilanter excubans, obſeruanſquè diligenter, fixâ mente, vultuquè ſemper eò versùs intento (ſentiebam enim abſens tacitâ vi quadam veluti ferrum ad magnetem, ità me ad vos quamuis longo interuallo allectum & attractum, per potentiam credo equidem illius aureæ Catenæ, nam

inuenitur & auro ſuus magnes, quàm meo collo diſcedentis iniecerat Dux Franciſcus) vt maxima quæque res contigiſſet, plauſum illius aut leſſum ad Lyræ modos reſonādo celebraui. Sic Mortariæ, ac Valentinæ acroāma victoriæ conceptum & datum abs me fuit, ſic lamentatio funeris fratris tui, clariſſimi imperatoris atquè feliciſſimi, ſic Altua Regij ſanctiſſima præfectura, ſic incitamentum Almerici ad paternam gloriam, ſic ſucceſſori facta deniquè Alphonſo gratulatio dominatûs. Quæ poëmatia, hiſquè alia ſimilia, quoniam de veſtris laudibus orta ſunt, alteri Tibi gentis columini, magnam partem collecta, atquè huius calci oratiunculæ annexa, viſum eſt vnà conſecrare. Et quia præmiſſo in ſermone Numero Deus impare gaudet, ad exemplum eiuſdem, Heroibus vt placerem, inſequentia carmina diſpoſui tripartitò. Tres Odæ nimirùm, ac totidem Epigrammata reſpondent proportione.

Voluiſſem vtiquè non dico maius quidquam, at aliquid tibi certè magis proprium adornare, quod eſſet totum tuum: ſed hoc, tuo tam repentino acceſſu, tantillo tempore, minimè erat aut ingenij aut opis noſtræ: differre igitur ad plenioris laxamentū otij duxi ſatius. Aut gentē,

Æneid. l. 9. — *aut aliquid iamdudùm inuadere magnum*
Mens agitat mihi, —

ad RAYNALDVM ſingulariter ipſum, velut ad rediuiuum Heröa Taſſianum, referendum; faueat inceptis, qui mouit, Deus. Meditor ſanè autem panegyricum ab albis Eſtenſium auibus carptum & deductum, quàm acribus in iras Aquilis, tàm pronis ad pacem Columbis; quarum te iugatarum faciam præcipuum pro re natâ moderatorem. Hîc itaquè in præſentiâ impono finem, commu-

191

ne interim gaudium cum Senatu & Quiritibus pro optato receptu tuo gaudens: diuinas iſtas dotes animi, præclaraſquè virtutes reſeruo in eam, quam dixi, priuatam gratulationem. Illud tamen non innuere iam non poſſum, futuræ laudis corollarium: Quod olim de Scipionum familiâ celebre fuit dictum, natam eam ad ſubigendam Carthaginem, affirmari ſimile quiddam de veſtrâ poſſe, ad obſtringendos homines diuinitùs eſſe miſſam. De Te adeò quid expectare nos oporteat, non ducit ſpes, ſed monſtrat experientia, nempè continuum bonum. Vale, mequè protege.

ROMÆ, Ex ædib. Eminentiſſ: Princ. *Bernardini* Card. *SPADAE*. Prid. Id. Iun. 1659.

EMINENTIÆ TVÆ

Mancipio & nexu deuinctus
in perpetuum cliens,

Iacobus Albanus Gibbeſius.

D. Auguſtin. lib. 1. de Trinit. c. 3.

Vbi quæritur vnitas Trinitatis, *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs quidquam inuenitur.*

S. Bernard. in paru. Serm.

Inquirere de Trinitate, *peruerſa curioſitas eſt; & credere, & tenere ſicut Sancta Eccleſia tenet, fides, & ſecuritas eſt; videre autem eam, ſicuti eſt, perfecta & ſumma felicitas eſt.*

AD LECTOREM.

HVi quàm prolixus ad Pontificem ſermo! inquies, & miraberis, LECTOR. Et optimo quidem iure: cùm vltra quadrantem horæ Conſeſſum illum ſacrum orando rem inter diuinam detinere, nemini ſit permiſſum. Mihi ſi præcipuum ſumam quidquam præter cæteros, aut arrogatum credi velim, non modò vecors, ſed etiam mendax & impudens ſim. Quicquid excurrerit ampliùs, id omne in publica commoda peccari, quis ignorat? Dicam igitur & fatebor ingenue, quod res eſt. Cùm præceptum animo haberem Orationum volumen ad triginta concinnare, idque exemplo M. A. Mureti, clariſsimi viri ductus, in Lyceo Romano deceſſoris mei, quarum decem iam & ſeptem ſunt in promptu; committere nolui, earum vt exiret, atque in vulgus emanaret vlla, quæ minùs abſoluta numeris, aut partibus imperfecta cenſeretur. Huius verò orationis, quam tibi nunc propono, circumſcripto ad dicendum tempori morem gerens, Epilogum expreſſi tantùm, perpaucis verſibus additis prætereà. Hoc ſcire te volui, pulcherrimum factum ne neſcires: cuius vel vnius honore voculæ in tanta celebritate emiſſæ contentus abunde fuiſſem; & vt in eo, ſi placet, mihi gratulare.

VALE.

192

ORATIO.

QVOD pleni ſæpè perfectiquè oratores, præſtanti viri doctrinâ, maximo ingenio, ſummaquè eloquentiâ prædití, vſu ſibi venire teſtati ſunt, vt exalbeſcerent in principijs dicendi, & totâ mẽte atquè omnibus artubus contremiſcerent; idem ſi mihi hodiernodie, nullâ ex parte cum ijs comparando, vmbratili rhetori, è Lycei ſpatijs & exedris in hanc tuæ clariſſimam, BEATISSIME PATER, præſentiæ lucem (dicam?) annè ſolem, in tot circumfuſorum ſiderum primæ magnitudinis illuſtrem coronam, in puluerem atquè aciem concertationis, pro vnius omnium grauiſſimi vel laude vel veneratione myſterij Chriſtianæ religionis, contra Hydrarum Lernam, ac barathrum Cerberorum, (illarum quidem criſtas arrigentium & vibrantium linguas, horum verò impuris faucibus mille probra euomentium, &, quod ſolum ipſis licet, allatrantium) egreſſo; illud ipſum ſi, inquam, mihi hodiè contingat in tanto apparatu & expectatione, nulli profectò mirum videri debet. Nam ſiuè eius, qui præſideret, doctores illi amplitudinem horruerint atquè authorita-

M.T.C. l. de Orat.

tem; quid Pontificis Romani, hoc eſt, præpotentis &
S. Th. op. 1. cont. err. Gr. veri Dei in terris Vicarij, maieſtate glorioſius? ſiuè pru-
dentiam & iudicium extimuerint auſcultatorum, quid
hoc ſanctiſſimo Conſcriptorum Patrum concilio ſapiē-
tius? ſiuè cauſæ deniquè fortunam, quorsùm euaderet,
difficultatemquè reformidârint, quid illius arcanæ
TRIADIS in vno Deo diſcretione, quæ nunc per ſpe-
1. Corint. 13. culum nobis & in ænigmate proponitur, nec intellige-
mus perfectè aut videbimus niſi facie ad faciem, vt lo-
quitur D. Paulus, effractis ſcilicèt corporis vinculis ad
Superos translati, aut obſurius, aut implicatius? Equi-
dem, ſi deciſionis arbitrium permitteretur aduocationi
meæ, vererer quàm maximè, nè ingenij culpâ deterre-
rem, atquè inuoluerem ampliùs: ſed cum eam præci-
puè partem aſſumpſerim, venerãdi potiùs mirificũ iſtud
Ariſt. 1. Met. Agell. 14. diuinæ perfectionis pelagus, & celebrãdi, & admirandi,
(ex rebus enim captum hominum ſupergreſſis naſcitur
admiratio, &, quantò ſunt magis inopinatæ, non pa-
riunt verba, ſed ſilentium) nolo diffidere, nè hæſitan-
te iſtâ qualicunque linguâ, verbiſquè metum inter &
reuerentiam tanti Sacramenti reciprocando balbis, ac
parùm ſequacibus, non Diuûm æquè ſim, atquè morta-
Prou. 1. lium generi, quaſi oráſſem perdiſertè, placiturus. In-
choat ſiquidem ſummi rectoris ac domini timor, perfi-
10. Sap. 21. citquè ſapientiam; infantium idem linguas reddit elo-
S. Mat. 18. quentes; hic eſt ſermo beatarum mentium, quæ faciem
Patris æterni ſemper intuentes, muto alarum ac tremo-
ris eloquio nunquam ceſſant collaudare.

Deum in mundo aliquem, qui mouet, qui regit, qui
tuetur omnia, nulla gens eſt nequè tam immanſueta,
nequè tam vecors, quæ non, etiamſi ignoret qualem ha-
bere deceat, exiſtere tamen, & habendum pleno ore
fateatur. Quid ſit, ea verò ſemper manſit difficilis in-
quiſitio, nec ſatis vnquam apud philoſophos alienæ le-
gis explicata. Quemadmodùm igitur nihil certi, pro-
prio ſenſu & ſuopte ingenio freti, circa rem ipſam pro-
tulerunt, ita etiam de numero Deorum mirum in mo-
dum

dum diſsenſerunt. Ac M. Varro quidem apud Romanos, vt de cæteris taceam gentibus, ſupra triginta millia ex omni turbâ & innotuiſſe, & in honorem puluinaris veniſſe, ſcriptum reliquit. Inualuit autem opinio, vt plures eſſe Dij crederentur, quòd obeundis tot muneribus quî vnus ſufficeret, ſtultiſſimi homines non viderent. Itanè verò? ſic ratiocinamini, præclari Philoſophi, corporeis inſtrumentis, tanquàm fabro vel textori, perindè Deo opus eſſe ad molitionem rerum atquè conſeruationem? manus apponi vultis? oculorum aciem requiritis? ſi pedes venire neget, è cœlo in præſentem actum ſubiectâ machinâ deducitis? Veſtra ſunt iſta (& ſimiles illis fiant, qui confidunt in eis) veſtra ſunt numina: os habent, non loquuntur; oculos habent, non vident; aures habent, non audiunt; nares habent, non odorantur; manus habent, non palpant; pedes habent, non ambulant tamen. Ex argento & auro conflata ſimulachra, & manu & arte accedente laborata. Deus autem noſter, quem vnum & ſimplicem, æternum ac omnipotentem confitemur, in ſolio reſidens ſuæ gloriæ, quæcunque voluit, fecit: cuncta creauit, expers ipſe principii; mouet, ipſe immobilis; conſeruat, præſens vbiquè, & diffuſus; peragit deniquè vniuerſa ſecnndum conſilium abſolutæ voluntatis.

Apud D. Aug. 4. & 7. de Ciu. Dei.

Pſalm. 113.

ad Eph. 1.

Poſito itaquè certiſſimo fundamento Deum eſſe (nam Atheos nihil moror, quantumuis barbatos magiſtros, quos iure ſacra pagina vocat inſipientes) eundemquè Deum neceſſario vnum & infinitâ bonitate condidiſſe omnia, & eàdem, quâ condidit, virtute moderari: Si enim non foret vnus, non omninò eſſet, vt rectè Tertullianus colligit; Deoſquè multos ponere, perindè habendum, ac ſtatuere nullos, probauit Athanaſius: Sequitur nunc, vt cuius potiſſimùm gratiâ præmiſſa iſta fuère, imponamus multò magis mirabile faſtigium, nodum quidem pluſquàm Gordium, illam lucidiſſimam ſacroſanctæ Triadis caliginem; quam niſi diuinitùs reuelatam nulla vis ingenij, nulla mentis acies, nul-

S. Aug. ſer. 139 Pſalm. 52.

Lactan. Firm. l. 1. c. 3.

Cont. Marcio. l. 1. c. 3

Cont. Gentil.

S. Mat. 11.

la non modò hominum, ſed etiam ſpirituum cœleſtium notio atquè ſolertia non dicam animo comprehendere vnquàm, ſed vel attingere ſuſpicione potuiſſet.

S. Atha. in Sym. 1. Io. 5. Lux in tenebris, in Sole nebula concretæ mentis oculis exhibetur hodiè, Vnus Deus, idemquè Trinus. O reconditam,& ſtupendam diſtinctionem! ô imperceptam in tantâ diſtinctione communionem rerum omnium, ac ſocietatem! cùm illa præſtans ſupremaquè natura, vna & eadem in tribus perſonis, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto conſiſtat. Sic ſunt tres hypoſtaſes (loquamur ita planè cum Theologis, ac formam ſanorum verborum iuſſu Apoſtoli, cùm in cæteris Fidei myſterijs, tùm in hoc præcipuè Trinitatis, quod ſicut alijs ſublimius, ſic etiam difficilius eſt, ſyncerè teneamus, nè erremus) ſunt ità tres hypoſtaſes in vnâ ſubſtantiâ ſimpliciſſimaquè naturâ, vt cùm differant, non ſint diuerſæ; ita vnum & idem rurſùs omnes, vt nec ſint perturbatæ, nequè confuſæ. Quid ais, Phyſice? minimè conueniunt iſta calopodio tuo: hìc nequè curris, nequè remigas: hæres in ſalebris, hæret aqua: caue putes, vt problema Archimedeum, aut Platonis numerum, illos diſputationis ſcopulos, perindè ſacrorum initia cœleſtium ad vllam ſenſus probabilem vel rationis concluſionem poſſe reuocari. Succumbat intellectus oportet, vt erigatur. Alia longè profectò doctrina Cœli & Lycei eſt. Ea non in ſapientiâ hominum ſita, ſed in virtute Dei conſtituta diſcitur. Qui poteſt capere, capiat; qui autem non poteſt, credat; & oret, vt, quod credit, intelligat. Generationem eius quis enarrabit? iudicij vi ſui conſequi ſe priuatim poſſe tantum arcanum nemo ſperet. Aurelium quidem Auguſtinum, prò ſuperi, qualem virum! naturæ prodigium noſtræ, theologiæ ocellum atquè genium, non ſapientiæ ſolùm; verùm etiam animi ac virtutis præclarum magiſtrum, theatrum quoddam cœleſtis eloquentiæ, in quo Deus abundè videri voluit, quid poſſet vitæ ſanctitudo cum vi dicendi coniuncta, libris quinque & de-

Conc. Chalc. act. 5. & Conſt. 2. coll. 8. can. 4. 2. Timoth. 1.

ad Corinth. 1. Aug. l. 3. cont. Max. Arrian. Aug. ib. & Iſai 53. S. Hilar. l. 1. de Trin. Poſſidon. Ribad. in eius vita.

cem de miraculo diuinitatis tanto ſubtiliter ſcriptis, non contentum tamen, aſt alia inſupèr adiungere meditantem, à puerulo, qui maris vndas, ipſe ad littus ſedens, exhauriebat, & ſcrobiculo infundere ſimulabat, ſalſiſſimè deriſum accepimus fuiſſe. Nam interrogatus ab eo puer (figuram illam induerat Angelus) quid eâ operâ ſibi vellet, cùm exinanitum abſcondere ibi totum mare reſpondiſſet, atquè Auguſtinus id fieri non poſſe iocularitèr affirmaret; quinimò hoc vtiquè multò procliuius, excepit Ales nuncius, quàm Oceanum, quem tu cogitas, comprehendere.

Labyrinthum propè dixerim, BEATISSIME PATER, eſſe Trinitatem, indeprehenſum, &, niſi per filum fidei, non explicabilem; addam hoc ampliùs, perpetuum circulum, nodum indiſſolubilem, abyſſum immenſæ profunditatis, &, quod quadrat aptiſſimè, ſi maximis conferre minima licet, Polycriti æquatâ ſtantem facie lacum, in quem quò te committis longiùs, eò magis ac magis per ſingula momenta ſuccreſcētibus aquis implicaris. O altitudinem diuitiarum! ô inueſtigabiles vias! ea demum beata ignorantia eſt, quòd ſcimus ignorando vnum in tribus perſonis æternum Deum: Patrem quidem rerum omnium Opt. Max. non creatum, non genitum, à nullo profectum initio, ſemper ex ſeſe totum aptum, dùm acerrimo præſtantiſsimæ mentis oculo ſe intelligit, & quaſi in flagrātiſsimi nitoris ſpeculo ſuam ipſius faciem contemplatur, Filium generare, imaginem & figuram eiuſdem ſubſtantiæ, viſcerum ingentem partum, Deum de Deo, lumen de lumine, & per omnia ſibi æqualem: ab vtroque deindè ſpirari coæuam illam amoris flammam, cuius facibus quicquid eſt modò caſtiſsimæ dilectionis inardeſcit, Sanctum Spiritum, inquam, genitoris & Filij geniti mutuum oſculum, ac nihilo ambobus nec potentiæ, nec ſapientiæ prærogatiuâ, nec verò bonitatis inferiorem.

Democrit. & Triſm. — *ad Rom 11.* — *Dion. Areop. Ep. 5 ad Dorot.* — *2. Cor. 4* — *Hebr. 1. 3.* — *Syneſ. in hym.* — *Symb. Nicæn.* — *S. Bern. ſerm. 8. in Cant*

Mira res certè, quæquè omnem humanæ mentis ſuperat ſenſum atquè captum, coniunctio hypoſtaſeôn

tam

tam diuina! & cùm nihil ad felicitatem intelligatur neceſſarium magis quicquam, nihil ferè ignotius tamen, ac multo tempore neglectius. Cui enim mortali ſubire vnquàm potuiſſet non modò ſpecies huiuſce, ſed vel vmbra veritatis, niſi eam ſingulari quodam beneficij munere, inauditaquè clementiâ nobis pateſeciſſet ille ipſe, qui ſolus perfectè cognoſcit ſeipſum, Deus? Deo planè, Deo erat opus ipſo, ad ſummam illam beatiſsimamquè naturam declarandam. *S. Iren. l.4.* Magnæ omninò gratiæ à nobis habendæ ſunt, agimuſquè ingentes tibi & immortales, mundi creator & rector Deus, qui multifariàm & diuerſis modis patres noſtros allocutus olim in prophetis, ſed per ſimulachra quædam, velut inuolucra; non ſatis manifestè; diebus iſtis nouiſſimè, quaſi detracto velo, nos in vnico Filio gloriam docere tuam voluiſti: *S. Paul ad Heb. c.1.v.1* quem ideò placuit tibi formam induere hominis & figuram, vt hoc faciliùs noſtræ ſe imbecillitatis oculis daret inſpiciendum. *Epiſ. ad Philipp. c 2.* Quemadmodùm veſpertilionibus aut noctuis Sol ſi opponatur meridianus præſtringit viſum; occidens, & ſub nube, ſuſtinetur; ſic aſſertor noſter Chriſtus, ſplendor patris, hoc luteo mortalitatis ergaſtulo circumcluſus, lucifugis hominibus erat exhibendus, nè obrueremur. *Hebr c. 1. 3.* Quis poſuit nubem veſtimentũ eius, & caligine quaſi pannis infantiæ obuoluit? *Iob.38. v.9.* quis, niſi tu, clementiſſime Pater, miſeratus ſortem noſtram? Tibiquè adeò meritas laudes impertimur, princeps pacis IESV, qui nos eoſdem pretio tui ſanguinis redemptos diuino amore inter nos, atque erga res cœleſtes accendiſti: *ad Eph 1. & S. Ioan. 1. 1.* quis miſit Spiritum Sanctum, tenax illud gluten, infuditquè in corda noſtra? *S. Petr. 1.1.* tu videlicet recedens mortis victor, à Patre ipſum deprecatus. *S. Bern. 8. in Cant. D. Ioan 14.*

Itaquè altiſſimum cœli numen gratuito conceſſu, ac munere ſingulari, non hominum vlla ſcientia vel peruestigatio, BEATISSIME PATER, ſacroſanctæ Trinitatis mirabile myſterium indicauit. Hoc tanto duce, perbenignoquè magiſtro, nulla quidem momenta ratio-

Digitized by Google

195

tionis ad faciendam fidem ſuggerente, ſed fidei facem duntaxàt ad rationem ſubiungendam præferente, ad gratiæ legem docti atque conformati ſumus. Illuſtrantur iam nobis & patent omnia, quæ tot antè ſeculis cunctas gẽtes præter Hebræos, eoſque paucos & delectos, craſsis occultata tenebris & circumfuſa latuerunt. Quò profectò maior Chriſti ſectatoribus huiuſmodi documenta tuendi, vltrò nobiſcum nec opinantibus communicata, vel cum extremo vitæ periculo neceſsitas incumbit; quandò nec Chaldæis in Syriâ, nec in Perſiâ Magis, neque Sacerdotibus Ægyptiorum, neque Bactrianorum Semanæis, non Gymnoſophiſtis Indorum, aut Druidibus Gallorum, non Græcorum Sophis, non Doctoribus Latinorum, vſque adeò ſublimis ac illuſtris boni nè per tranſennam quidem videndi conceſſa copia eſt. Quid enim? ratione nimirùm vaniſsimi homines, ſuo ingenio vel confiſi vel inflati, metiebantur diuinitatem. Qui verò ſic ſcrutans radium illius attingere vel minimum ſe putat poſſe, vehementer errat; opprimetur priùs à gloriâ. Cedat ratio, cedant ſcholarum argumenta diuinæ adytis maieſtatis: ſatis probauimus, ſi credidimus ſatis. Nequaquàm ſunt intelligenda cæleſtia, vt credantur, ſed credenda, vt intelligantur; contrà quàm fieri amat rebus in humanis. Hîc Dialecticis, illîc piſcatoribus habetur fides. Quapropter ſtultitiæ ſapientiam vt humanam argueret Deus, non magnis, non eruditis, non eloquentibus viris arcana conſilia, ſed paruulis, indoctis, & infantibus maluit aperire.

Matt. 13. *Prou. 25.* *ad Heb. 11.* *Aug. ſuper Ioã.* *Ambr. lib. de Trin.* *S. Luc. c. 10. v. 21*

Quis poſsit exæquare verbis, imò quis poſsit cogitatione aſſequi huius beneficij magnitudinem atque præſtantiã? Nos miſeros, & infelices: niſi bonitas Dei sũma, tãq; inſignis indulgentia præueniſſet! Siquidem illud verum eſt, vt eſt veriſsimũ, quod Sanctus inquit Ioannes, Æternam vitam eam eſſe ſolam, cognoſcere Deum verum, &, quem ipſe miſit, dilectum Filium; quo tandem modo, aut quâ ſpe nixo, in cœlum homini patuiſſet

Pſalm. 58. *S. Ioan. c. 17.*

ſet aditus, cùm in tanto errore veritatis,& in craſſiſſimâ ignoratione primæ cauſæ verſaretur ? aut quæ illa beatæ vitæ ac ſempiternæ potiundæ fiducia ſupereſſet ?

Hanc immenſam liberalitatem tametſi potiùs profundo cordis ſilentio, quod initio poſui,venerari, quàm vllo linguæ officio extollere oporteret,cùm tamen Ca-
Aug. l. de fid. & ſymbol tholica fides exigat à nobis munus vtriuſque partis(nequè enim ſalui eſſe poſſumus,niſi profiteamur ore,quod corde gerimus) relinquitur, vt debitas etiam grates
Epheſ. 1. Sancto Spiritui promiſſionis , quo ſignati fuimus , tanquàm noſtræ pignori hæreditatis , referamus . Quod dùm inſtituo facere quâ licet demiſsi animi ſignificatione,agè ſanè, vnà preces communi nomine permiſcebo.
S. Dam. or 3. c. 4 Ille vtiquè ſupremo Numini iucundiſſimus accidit laudum ſuarum modus, ſi quo tempore gratiæ pro veteribus beneficijs aguntur, eodē veſtigio noua poſtulētur.
Cantic. Zachar. Colamus igitur & reuereamur Patrem , & Filium , cum Sancto Spiritu , læti ac ſupplices : celebremus & extollamus eum continenter à ſeculo in ſeculum , qui
Ioā. 5. 7 & 26. 1 Dan. 3. Iſai 48. 16. Ezech. 36. Epheſ. 1 Coloſ. 2 Cor. 5. 2 Luc. 11 20. Rom. 5 Heb. 10 20. Cor. 12 11. fecit redemptionem plebis ſuæ. Et tu, ô alme Paraclete , laudabilis, & glorioſus , atquè exaltatus eſto , bòni omnis fons & auctor, quòd effusâ ſuper nos aquâ mundâſti ab iniquitatibus & idôlis, mundatos in gentem ſanctam elegiſti, electis demùm cæleſtem patriam , & theſauros abſconditos explicâſti. Da, leniſsime , tu, qui dextræ Dei es digitus, charitatis & gratiæ diſpēſator haberis, vt nos ardentis amoris tui nouâ flammâ fuſi & conflati, ceù potentiſsimo nexi vinculo conſenſionis , quem Trinum & Vnum Deum verbo per fidem aſſerimus , ipſo quoquè vitæ genere facta per ſingula diligenter imitemur.

RAY-

Digitized by Google

RAYNALDO
CARDINALI ESTENSI,
ad Vrbem proficiſcenti.

Romam illius magnificentiæ, ac rerum præclarè geſtarum dignum theatrum fore.

ODE I.

IBIS Troiugenûm celſa Quiritium
Longo tecta & opes viſere limite
Turbæ rite ſequacis,
Primis non ſine ciuibus,
RAYNALDE, à veteri nobilis Atio,
Princeps. Ibis ouans aduena tertium,
Ex quo purpura clarat
Te ſacrum Latij patrem.
Eheu! præcipitem quæ fuga propulit
Me ſic Vrbe procùl? quæ cohibet mora,
Vt deducere fulgens
Non poſſim ad Capitolium?
Illìc continuis Martia plauſibus
Gens cum voce manus deteret, ac nigræ
Noctis ſigna reſoluet
Tortorum artibus ignium.
Illìc flore vias; & Babylonijs
Cernes, quà graderis, diuitijs domos
Arridere curuli,
Occentantibus vndique
Centeno ore tubis. Tunc, bone Galliæ
Cuſtos, tunc &, iò Luſiadum pugil,
Fas audire, triumphe,
Quouis Vrbis ab angulo.

Quid

Quid mirum, grauibus par vbi Gallia
Senſit conſilijs pectus; & alite
Rixam finiet alba
Hæres verus Vlyſſei?
Librat ſceptra Deus lance ſuperbiæ
Plerumquè: ac tenuem ſæpè potentior,
Vt balæna ſiluros,
Abſorbet; celeri tamen
Sors hunc, ſi libeat, reſtituit vice, &
Tantundem trutinam pendet in alteram.
Multos perditus annos
Rex vno eminuit die.
Regem plebis amor, non dolus efficit,
Non vis. Herba malis eſt patientia,
Cui nec Phaſis amatrix,
Nec Circe ſimilem leget.

AD ALPHONSVM IV. ATESTINVM, Mutinæ Ducem &c.

In funere FRANCISCI Patris: Gratulatur indè ſucceſsionem IPSI.

ODE II.

PVlla virentem frontis adoream
Commutet vmbra præfica Pieris;
Cantumquè lugubri querela, &
Triſte chely reſonante buxum.
Non illa, ſano qualis Apolline
Spectanda venit nuper; amiciùs
Gratata ſolennes triumphos
Egregio patris ALMERICO.
Audita cui non capta Valentiæ
Moles? quis altis ſurdior ictibus

Non

197

Non quaſſa Mortarj recepit
Mœnia, terribilemque cladem?
Tum quantus vrbes, quantus erat pauor
Agros per omnes! iam caput Inſubrum
Secto petebat calle victor,
Eridano ſubeunte pontem.
Iamquè & coronam vi Modoëtiæ
Penè occuparat, feruidus aggredi:
Sed Parca bellorum furori
Obſtitit, imminuitque regem,
Sortes adæquans: accipitrem velùt
Prædæ inuolantem corripuit prior
Ales Tonantis: Sic iocoſo
Res hominum libet ire cælo!
Atquì peruſtis febribus, Herculis
Ritu, ſubegit cedere neſcium:
Hoc æqua ſolùm, quòd ſupremos
Ferre virum docuit labores
Heroïs inuicti, aſsimilem Herculi
Tot antè factis; indigetem quoque
Olim futurum, cùm Latinos
Priſca duces monumenta pandent.
Apollo vixit vatibus, & choris;
Vixit Gradiuus bellipotentibus
Nexis ſacramento maniplis,
Dulce decus, columenque certum.
Proh cauſa luctus, nec reparabilis
Iactura in æuum! flebile næniæ
Sublatus argumentum acerbæ!
Heu miſeræ fera imago pompæ!
Sed cur oborto lumina depluunt
Humore rursùs? Sit ſatis hactenùs
Soluiſſe vectigal ſepulchro;
Sit, cineres maduiſſe ſacros.
Lætis recentem ſedibus aduenam
Linquamus illic plaudere. Nunc iuuat
Virtutis hæredem paternæ,
Et ſolij, rutilique ſceptri,
ALPHONSE, grato dicere carmine
Te ſubſecutum, ciuibus additum
Solamen agris, quò dolorem
Blanda leuet memorem voluptas.

Quæ

Quæ deinde feſsis gaudia gentibus
Enarro vates? Principis indolem
Odiſse pugnas, Romulamque
Pace Numa cohibere mentem.

AD PRINCIPEM
ALMERICVM ESTENSEM,
Sereniſſimum Alumnum ſuum.

Valentiam Ciſpadanam à FRANCISCO Patre glorioſè expugnatam gratulatus, Herois eum tanti exemplo ad laborem, ac veræ virtutis laudem incendit.

ODE III.

VAllum rupit iò victor, & Inſubrum
Ignotas aquilas mœnibus intulit,
Arma interque tubas, raucaque tympana
FRANCISCVS, grauis aſpici.
At nunc compoſito pectoris impetu,
Decedant fidibus claſsica Lydijs:
Illud, Muſa, mihi porrige barbiton,
Tantæ carmen adoreæ
Dignum dicere, quo Terrigenùm fugam
Pæan magnanimo concinuit Ioui,
Aut vis Æacidæ tollitur, aut ſacrum
Raynaldi proaui decus.
Raynaldus ſobolem tentat ad ardua
Semper; Solis vti rex volucrum genus
Obuertit radijs. Plurimus hinc domo
Creuit Cæſar, & Hercules.
Nec tali ſapiens deſit origini
Alphonſus, nec erit nominis indiga
Franciſci pietas, iura volentibus
Hic dùm vir populis dabit,
Princeps iure triplex, Mercurij modo,
Quem Memphis coluit. Puluere collini
Præfert ipſe tamen corpora Martio,
Regum inſignibus aureis.

Hac

Digitized by Google

198

Hæc mentem, memini, pacis in otio
Paſcebat ſpecies, cùm iaculo horridus,
Caſtrenſique ſago, rettulit aſperas
Prædas montibus auijs.
Felix, egregiam cui bonus indolem
Affudit genitor! non humiles agit
Curas; vſque mouet maxima; congener
Ignis ceù petit æthera:
Te talem, alte Puer, ſeminis æmulum,
Sicut ſpem Latij Tros pius alteram,
Vel claris Macedo laudibus inuidum,
Eſtenſis genuit parens.
Audi, facta patris quo tulerit metu
Pellæus iuuenis, non ſine gaudio
Doctoris, properi lumina tergere,
ALMERICE, madentia.
Ergò cuncta metet dextra Philippica?
Noſtris nulla ſeges ſurget honoribus?
Quas nato ſereret, prò pudor, vndique
Lauros is prior occupat?
At noſtrum omne lucrum: ſtertere ſcilicet
Noſtrum eſt. Qui domuit, pleniùs imperat.
Heu! mundum breue opus vincere; tu mihi
Orbes, Iupiter, obijce.
Laudatos gemitus vt premeret ſenex,
Mundos, vanus ait, Democriti tenes
Dulcis mille Puer; mille tibi cadent
Magno purpurei duces.
ALMERICE, vides (cura mea, & decus)
Albos patris equos ire Valentiam:
Pompam tu Solymis hanc imitabere,
Maiorum imperij ſequax.

AD

AD RAYNALDVM ESTENSEM, S.R.E. CARDINALEM, ac Regij Antiſtitem.

I. EPIGRAMMA.

V*Rbem colis*, *RAYNALDE*, Regium *dicunt*:
Hanc Priſcianus barbaram facit lexin;
RAYNALDVS habitat? Regiam *vocent*, *inquit*.

AD FRANCISCVM I. MVTINAE DVCEM.

Comparatio inter *Saxulum* & *Eſcuriale*: hoc Regis Hiſpaniæ villam, illud Ducis Mutinæ.

II. EPIGRAMMA.

S*Axulum & Eſcurias, duo ſumma palatia vidi,*
Et quicquid cingit Saxulum & Eſcurias.
Nomina parua quidem, Lapis, *& quæ* Scoria *formant*;
Prodiga ſed clarat bruta metalla manus.
Dux illud ſtruit Eſtenſis, Rex Auſtrius iſtas,
Nec ſtupet has Italus, nec ſatis illud Iber.
Dicam ego diſcrimen, ſi diſtant: verſa ſit aurum
Scoria *per Regem, ſub Duce* gemma Lapis.